



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Nervi Sine Mole: h. e. Controversiarvm Roberti Bellarmini
S. Rom. Ecclesiae Cardinalis Eminentissimi Compendium,
à cavillis & imposturis Guilielmi Amesij ... Vindicatum**

Erbermann, Veit

Herbipoli, 1661

Cap. II. De concordia providentiae divinae cum lib. arb.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9498

plici, eaque præpingui calumnia satis apparet. Amesium vix aliud potuisse spectare, quam ut tyrones suos quóquo modo sycophantando deciperet. Quanquam insigniter stupidi fuerint vel ipsi tyrones, qui non palpent insulsiatatem illationis: [Lib. arbitrium creatum non est actus purus, sed habet aliquid potentialitatis. Ergo non est potentia pure activa, sed ejus actus producitur activè vel ex toto vel ex parte à phantasmate, aut ab objecto cognito, aut certè ab ipsa mente, ut agebant Godofr. Greg. Gabr. Cajet.] 2. Præmotionem divinam indifferentem (non physice prædeterminantem) per illam potentiam activam non excludit Bellarminus, sed cum S. Thoma facillè admittit; itemque necessitatem gratiæ excitantis & cooperantis, quæ sit in substantia supernaturalis, infra cunctis omnibus Catholicis tradit; quæ omnia perfractè negavit Pelagius; quâ ergo specie veritatis, Pelagianæ erroris nos insimulat impostor ille cum Manichæo & Calvino?

CAPVT SECVNDVM

De concordia providentiæ vel cooperationis divinæ cum libero arbitrio.

Saltum facit Amesius oppidò luculentum (& multò magis Gerhard.) Nam à cap. XI. lib. III. usque ad duo capita ultima libri IV. omnia silentio suo approbant; adeoque tacitè fatentur, lib. IV. cap. 5. clarissimè convictos, justissimè damnatos esse absurda temeritatis, contradictionis, & hæresis Lutherum, Calvinum &c. qui negarunt lib. arbitrium etiam in civilibus, adeoque etiam nomen *liberi arbitrii* abolere, aut in *Servum arbitrium* transformare contra omnes Scriptores Ecclesiasticos

Cap. præsumpt
R. I. Qui
tum Luth
mistarum
trii inter
gône sic
negatione
ita & Præ
Bellarm
parum co
rum sent
lib. 3. cap
suam. A
merito ex
Libertatis
Tum aper
15. quod h
quodcunqu
apertè ad
qu. 10. a.
Tum qui
prædeter
& illa sub
ex neces
periret h
interest
berè sive
sistibilit
fit causa
videtur a
bitrium.
His
tio appro
fex Obj
exagitan
tionis di
Gabr. &
mere au

præsumperunt, Quis dubitet, hinc valere illam
R. I. *Qui tacet, consentire videtur?* Verum, non tan-
tum Lutherum & Calvinum suum, sed etiam Tho-
mistarum prædeterminationes physicas liberi arbi-
trii interfectrices indefensas prætergreditur. Er-
gône sicut cap. 14. Durandi conciliationem per
negationem concursus divini ad actiones liberas,
ita & Prædeterminantium conciliationem rectè à
Bellarmino explosam suo probat silentio? Hoc sanè
parum congruit cum ijs, quibus suprà Thomista-
rum sententiam tanquam propriam sustinuit, ut
lib. 3. cap. 3. th. 2. & 4. ubi eam pronunciat *planè*
suam. At hinc Bellarminus (annuente Amesio ut
merito ex ejus silentio præsumitur) illam tanquam
Libertatis humanæ vastatricem funditus evertit,
Tum apertis Patrum testimoniis, Tum ex illo Eccl.
15. *quod hominem reliquerit in manu consilii sui, ut ad*
quodcunque voluerit extendat manus suas &c. Tum quia
apertè adversatur S. Thomæ 1. 2. qu. 9. a. 6. ad 3. &
qu. 10. a. 4. & qu. 80. a. 1. ad 3. Et 2. 2. qu. 174. a. 1.
Tum quia libera nequit dici ea potentia, quæ posita
prædeterminatione physica non potest non agere,
& illa sublatà non potest agere: Tum quia si DEVS
ex necessitate determinaret creatum arbitrium,
petiret hujus libertas, ut ipsi agnoscunt: at quid
interest si vera voluntas moveatur à D E O li-
berè sive necessariò, dummodo efficaciter & irre-
sistibiliter moveatur? Tum quia sic D E V S revera
fit causa peccati: Tum quia sola voce discrepare
videtur ab errore eorum, qui apertè tollunt lib. ar-
bitrium.

His ergo omnibus sive dissimulatis, sive silen-
tio approbatis, (uti & in cap. seq. solutionibus ad
sex Objectiones prædeterminatorum) sumit sibi
exagitandas duas Rationes concordie coopera-
tionis divinæ cum lib. arbitrio. Prior est Scoti, Greg.
Gabr. &c. qui dicunt, concursum DEI nihil impri-
mere aut operari in voluntatē creatam, sed immediatè

influere in effectum, cumque producere illo ipso momento, quo à voluntate nostra producitur: unde nec DEVS voluntatem, neque hæc illum determinat, uterque concursus suum liberè adhibet, & si alter nolit concurrere, opus non fiet. Hanc Rationem concordie frustra allatrat & arrodit. Nam falsum est 1. *per eam subtrahi dominio, providentia, & gubernationi DEI efficaci operationes voluntatis humane.* Suaviter enim & fortiter flectit etiam hanc quò vult congruè creaturæ rationali, non ut brutas pecudes. Falsum est 2. *tollì subordinationem primæ & secundarum causarum.* Manet ea immota, cum prima causa genio singularem se accommodat, liberi relinquens id quod essentia libertatis secum fert. Falsum est 3. *hominem non subditum, sed socium DEI facere.* Nam semper manet ejus liberum exercitium à nutu DEI dependens, utpote quod pro libito conservat, gubernat, dirigit, suspendit, extinguit. Falsum est 4. *Sic fingi DEVM ex hominis nutu dependentem.* cum absoluto ejus dominio nihil eorum possit officere, quæ ex spontanea liberalitate indulget rationali creaturæ: Non magis certè pender sicè nutu creaturæ Creator, quàm cum is suâ pollicitatione gratuitâ illi se quasi obstringit. Falsum est 5. *imò sycophantica cavillatio, cum per liberam creaturæ determinationem Creator fingitur quasi in ordinem redigi.* Vera pietas minimè evertitur, neque illud pium dictum; *Faciám hoc si DEVS voluerit.* Nam ita quodvis opus in mea libera potestate est, ut tamen variis modis, salvâ etiam Libertate, possit à DEO impediri, mutari in aliud æquale, melius &c. Impium verò vicissim est, si DEVS voluerit faciám hoc vel illud flagitium; quod tamen juxta Puritanum omnino dicendum est. Quòd denique 6. ait, hanc conciliationem *adversari* (juxta Didac. Alvar. Disp. 18.) non modo Aristoteli, Thomæ & Thomis, sed etiam Concilii Tridentini Catechismo (cujus tamen verba truncat Amesius, omittens ista, *quamvis*

(secundum

Cap
secundarius
falsum q
ferentem
admittit
tione phy
Bell. expl
Pallavic.
Alte
& cooper
juxta S. T
rum secu
Amesius
Sophistam
probabilior
ita quoq
à parte re
hic Scept
bo DEI,
pienter q
arbitratu
Bell. cap
contradict
contendit
istica, obse
quam cap
celo diff
bilis (qu
etiam cur
tione inc
plici sent
indifferen
ne physico
nia vel ja
ci inficia
auctorita
P. à S. I
Angelici
suavem e

(secundarum causarum efficientiam non impediat &c.)
falsum quoque est; nam præmotionem DEI indif-
ferentem, quam solam S. Thomas tradit, facile
admittimus, quæ toto cœlo differt à prædetermina-
tione physica irresistibiliter necessitante ut mox
Bell. explicat in 2. Ratione. Videatur etiam C.
Pallavic. in 1. 2. Disp. VI. q. 2. a. 12.

Altera ratio concordia inter libertatem hum.
& cooperationem divinam, & fortè probabilior est
juxta S. Thom. DE VM virtutes operatrices causa-
rum secundarum movere & applicare ad opus.
Amesius calumniatur 1. *Bellarminum agere scepticum*
Sophistam, dum posteriorem sententiam dicit fortè
probabiliorem. At certè utraque probabilis est, &
ita quoque, ut non repugnet utramque esse veram
à parte rei, de quo tamen non liquet. Quid ergo
hic Scepticum? Cùm Veritas manifesta nec ex ver-
bo DEI, nec ex naturali ratione demonstratur, sa-
pienter quisque eam conciliationem præfert, quam
arbitratur verisimiliorem, Illam verò, quam cum
Bell. cap. 14. paulò antè rejecimus (Amesio nihil
contradicente) jam hic ut veram sententiam extollit,
contenditque esse eandem quam hic Bellarminus sophi-
stica, obscura & absurda interpretatione depravavit, &
quam cap. 14. refutavit. Verùm, ut jam dixi, toto
cœlo differt illa physica prædeterminatio irresisti-
bilis (quam tot validis argumentis à Bell. disje-
ctam cur non defendebat Amesius?) ab hac præmo-
tione indifferente. Sic autem confusà inter se du-
plici sententia, scilicet verà S. Thomæ de præmotione
indifferente, & falsò ei afficta de prædeterminatio-
ne physica irresistibili; complura objicit, quæ om-
nia vel jam in superioribus excussa sunt, vel simpli-
ci inficiatione dissolantur, utpote nullo rationis vel
auctoritatis fulcro nixa. Videatur suprà laudatus
P. à S. Iosepho Fullienfis in Defensione Doctoris
Angelici, contra prædeterm. phys. & Concordiam
suavem ejusdem.

CAPVT